

volutetur studio exoptamus. Quam profecto sollicitudinem si penes eos, quos instituendos acceperint, Episcopi ceterique Ecclesiae antistites alendam curaverint, multum inde et sacrorum doctrina rituum, et augustissimarum reverentia rerum, et templi sacerdotiique decus sine dubitatione proficient. Haec autem quia plurimi interest in Ecclesia Christi foveri, amplificari, expedita atque explicata reddi, debitam propterea laudem alacritati tuae ac diligentiae tribuimus, simulque enixe te hortamur ut ad Religionem sacrasque disciplinas provehendas maiorem in dies industriam, novosque studiorum fructus conferre ne desinas. Auspicem coelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem amantissime tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV. Martii  
Anno MDCCCCIV. Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

## SACRA LITURGIA

### NOTIONES PRÆVIAE

#### ARTICULUS I

##### De Sacrae Liturgiae definitione, objecto, valore et obligatione

Q. 1. *Quæ est vocis Liturgiæ primitiva significatio?*

R Nomine Liturgiæ, quæ vox originis græcæ (*λειτον*, *ἔργον*) proprie quocumque publicum ministerium denotat, et in Sacra Scriptura determinatam magis atque restrictam habet significationem ministerii publici sacri, in Ecclesia a primis sæculis designabatur Sacrosanctum Missæ Sacrificium, cuius celebratio est ministerium eminenter publicum et sacrum, centrumque totius Catholicæ cultus; et quidem apud Græcos strictius ea Missæ pars quæ proprie Canonem complectitur.

Est autem notatu dignum, a Græcis Patribus, dum voce Liturgia ad designandum Eucharisticum Sacrificium utuntur, adjici solere epitheton sacra vel mystica, contrario occurrente usu apud Latinos Patres, quibus frequens est sensus eumdem nullo adjecto epitheto exprimere.

Idem Liturgiæ nomen a primitiva hac significatione ad ipsum contextum et ordinem lectionum, precum ac cæremoniarum quæ in offerendo Corporis et Sanguinis Domini Sacrificio adhiberi solent, translatum deprehendimus. Atque tot sunt Liturgiarum genera, quot ordines hujusmodi inveniuntur: hinc Liturgiæ SS. Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, in Ecclesia Orientali; — Romana, Ambrosiana, Mozarabica, in Ecclesia Occidentali.

Obsolevit autem usus quo vox Liturgia ad designandum Missæ Sacrificium restringebatur primis Ecclesiæ sæculis, et Liturgia in Ecclesia Latina eam significationem jamdudum accepit quam hodie habet. Quamvis enim Sacrosanctum offerre Sacrificium principale sit munus publice in Ecclesia Dei a sacerdotibus obeundum; cum tamen Horas canonicas persolvere, Sacramenta conferre et administrare, et reliquas ecclesiasticas functiones peragere, publica quoque sint ministeria ab iisdem exercenda; hinc Ordo in his omnibus servandus hodie Liturgia nuncupatur.

S. LITURG. TRACT. DE OFF. DIV.

I

Q. 2. Da definitionem Sacrae Liturgiæ Catholicæ, explicando.

R. Sacra Liturgia Catholica est complexus rerum, verborum et actionum quibus cultum externum Deo Ecclesia Catholica exhibit.

Sub **rerum** nomine indicantur omnes substantiae quæ ad cultum externum quocumque modo adhiberi possunt; ex. gr., hostia, vinum, aqua, altaria, paramenta, imagines, sal, olea, aliaque hujusmodi.

Sub **verborum** voce venit ea sacri ministerii pars, quæ in verborum prolatione, sive per cantum, sive per recitationem consistit.

Sub **actionum** vocabulo intelliguntur cæremoniæ; ex. gr., signa Crucis, genuflexiones, inclinationes, etc.

Exhiberi dicitur **cultus externus**, quo indicatur tractari, de ministerio publico, seu de actibus externis, non autem de mere internis animi sensibus aut actibus.

Exhibitetur Deo cultus: christiana enim vocis Liturgiæ significatio restringitur ad ministerium sacrum, cuius finis est divinam Majestatem honorare et revereri, hominibus Dei gratiam conferre, Deoque debitas gratias rependere.

Cultum exhibere dicitur Ecclesia, quo dicto excluduntur praxes privatorum licet externæ, et indicatur Liturgiæ objectum esse cultum præstitum a societate, quæ est Ecclesia, juxta normam ab ea statutam: est enim Liturgia ministerium publicum, λεῖτον.

Voce **catholica** rejiciuntur liturgiæ acatholicæ, et determinatur Liturgia vera, sancta, quæ sola legitima est.

Hæc autem præstare proprium et principale munus est sacerdotum, qui in hac parte, tamquam ministri Ecclesiæ et dispensatores mysteriorum Dei, Deo debitam adorationem in spiritu et veritate ac gratiarum actionem exhibent, homines participes faciunt gratiarum et beneficiorum Dei, et communionem Deum inter et homines modo quodam ineffabili perficiunt et exterius proponunt. Unde sacerdotibus præcipue incumbit hujus sacræ scientiæ studium; cum et ipsi sint custodes quibus creditum est depositum cultus quem dispensare debent et integrum custodire; et doctores, quibus datum est nosse mysteria regni Dei, qui docere debent omnes gentes et eis expondere et declarare mysteria Religionis.

Q. 3. Quodnam est objectum scientiæ liturgicæ?

R. Objectum scientiæ liturgicæ est ordo servandus in persolvendis Horis canonicis, in celebrando Sanctissimo Missæ Sacrificio, in administrandis Sacramentis, in peragendis reliquis ecclesiasticis functionibus; qui ordo continetur in Ritibus ac Cæremoniis librorum liturgicorum. Leges vero aut regulæ, quibus hic ordo præfinitur et regitur, dicuntur **Rubricæ**.

**Ritus** intelliguntur plerumque preces quæ in celebrazione Missæ, et divini Officii, ac in administratione Sacramentorum præscribuntur recitandæ, aliæ submissa voce, aliæ vero voce elatiore.

**Cæremoniæ** autem dicuntur actus, gestus, et alii motus qui comitantur verborum prolationem, aut res super quas vel cum quibus verba proferuntur, ut sunt benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa. (Concilium Tridentinum, Sess. 22, Cap. 5.)

Non raro tamen apud auctores ritus latius sumuntur: scilicet non solum pro precibus, sed et pro gestibus, et importat hæc vox non solum officium, sed et modum officii.

**Rubrica** vero proprie est quædam terræ species rubri coloris qua solent artifices ducere lineas ad sua opera concinnanda. Hac terræ specie consueverunt antiqui librorum titulos, capita et indices notare, præsertim titulos et inscriptions legum: hinc factum est, ut leges ad Missam, Officium, aliaque sacra celebranda, rubro colore in titulis et capitulis tingerentur, ideoque Rubricæ nuncupatae fuerint.

Q. 4. Quis Sacram Liturgiam Catholicam instituit, et cuinam competit jus liturgicum?

R. I. Præcipuos ritus præcipuasque cæremoniæ, ad ipsam religionis nostræ substantiam pertinentes, præscripsit ipse Christus Dominus. Etenim ad Liturgiam pertinent Sacramentorum materia et forma; extra omnem controversiam vero est Sacraenta esse institutionis divinæ quoad essentialia materia et formæ: quia solus Deus potest aliquibus signis seu ritibus visibilibus effectum supernaturalem permanenter alligare.

At præter Sacramentorum materiam et formam, reli-

quas rei liturgicæ partes Christus detulit Ecclesiæ ordinandas atque constituendas. E quibus ritus quosdam fuisse institutos ac cæremonias adhibitas ex Apostolica quidem disciplina et traditione, affirmat Concilium Tridentinum (Sess. 22, Cap. 5) ; alii autem ritus, aliæque cæremoniæ variis temporibus a Romanis Pontificibus aut Conciliis pie et sancte fuerunt institutæ ; quam potestatem eadem Sancta Synodus declarat (Sess. 21, Cap. 2) « perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret. »

Ceterum etiam in his non essentialibus introducendis Salvator ipse exemplo prævivit Ecclesiæ suæ, et quasi fundamentalia duxit lineamenta discipline ritualis, cum diversis occasionibus diversas ipse adhibuit cæremonias ; dum, ex. gr., manus imposuit parvulis ut eos benediceret, ægris ut eos sanaret ; — dum surdomutum sanare volens, misit digitos suos in auriculas ejus et expuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in cœlum ingemuit ; — dum in deserto panes antequam distribuerentur aspiciens in cœlum benedixit ; — dum frequenter genuflexus vel procidens in faciem suam oravit ; — dum ascendens in cœlum, elevatis manibus suis benedixit illis qui ibi aderant ; etc.

II. Supremum jus legislativum, ad Sacram quod attinet Liturgiam, a prioribus Ecclesiæ sæculis Romani Pontifices exercuerunt ; et ipsis competit, quibus tamquam legitimis S. Petri successoribus concreditus fuit thesaurus fidei, et commissa fidei unitas servanda, ideoque ipsis solis omnino manet reservatum. (Cfr. Bouix, *Tractatus de Jure liturgico.*)

Q. 5. Indica præcipuas Sacrae Liturgiæ utilitates.

R. Mirandæ revera sunt pro fovendo sanctæ nostræ Religionis cultu Sacrae Liturgiæ Catholicæ proprietates : sufficiat indicare paucis ipsam esse fontem uberrimum sanctificationis, eruditionis et auctoritatis.

I. LITURGIA CATHOLICA EST EX NATURA SUA SANCTIFICANS, ET PRÆPOTENS SANCTIFICATIONIS INSTRUMENTUM ; cum sacri ritus ac cæremoniæ mira polleant aptitudine, ut homines excitent ac disponant ad recipien-

dum divinæ gratiæ imbre, per sensibilium rerum media « fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis igne eas inflammet. » (Sixtus V. Constit. *Immensa*, 22 Januarii 1588.)

Pro Christi ministris præsertim exterior cultus ejusque religiosa observatio est pietatis internæ splendor, et ad hanc refrendam non modicum confert. (Concilium provinciale Lugdunense anni 1850. Decr. 20. — Collectio Lacensis, T. IV, p. 478.)

Clarissimum est effatum S. Josephi a Cupertino, qui rogatus ab aliquo Episcopo quomodo, si opus esset, clerum sibi commissum reformare posset, respondit, nihil aliud curandum esse, nisi ut Sacerdotes Sacrum Missæ Sacrificium devote celebrarent, et Clerici divinum Officium devote persolverent ; nam, his officiis si bene fungerentur, illos cito in omnibus reformatum iri.

Sed et in omnibus fidelibus multas virtutes fovet et auget ; etenim, ait egregie Cardinalis Bona, « licet ipsæ ceremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem, sunt tamen actus externi Religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudochristianis et eterodoxis discernuntur. » (*De divina Psalmodia*. C. 19, § 3, n. 1.)

II. LITURGIA CATHOLICA EST INSUPER EX NATURA SUA EVANGELIZANS, SEU ERUDIENS, ET PRÆPOTENS EVANGELIZATIONIS ET CHRISTIANÆ DOCTRINÆ INSTRUMENTUM ; cum ipsa totam rei christianæ seriem, veritates fidei, et salutis media, ditissima æque ac vividissima magisterii forma perpetuo insonet auribus, atque oculis repræsentet, ac rerum sacrarum majestatem commendet, et ita, ut iterum loquitur Sixtus V, magnam christiani populi eruditionem contineat.

Missa, ait Concilium Tridentinum (et quod de Missa dicit de tota Sacra Liturgia affirmari potest), magnam continet populi fidelis eruditionem. Quamobrem mandat Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliqui exponant, atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacrificii misterium aliquod declarant, diebus præsertim Dominicis et Festis. (Sess. 22, Cap. 8, *De Sacrificio Missæ*.) Item, ut fidelis populus ad suscipienda Sacraenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit ut Pastores illorum vim et usum, pro suscipientium captu explicent. (Sess. 2, Cap. 7, *De Reformatione*.)

III. LITURGIA CATHOLICA MIRAM QUOQUE CONTINET VERÆ FIDEI PROTESTATIONEM, ait idem Sixtus V. Maximi facienda est auctoritas Sacrae Liturgiæ, et habenda est uti testis omni exceptione major Traditionis et Ecclesiæ fidei, cum in illa ecclesiarum omnium exhibeat vox et testimonium. Si quid propterea occurrerit omnium Liturgiarum consensu firmatum, velut Ecclesiæ ipsius testimonium spectari debet: verum vix aliquod fidei dogma est, ex iis quæ Catholica profitetur Ecclesia, quod illæ non attestantur. (Perrone, *De locis theologicis*. Pars II, Sect. 2, Cap. 2, § 4.)

Sic ex exorcismis supra baptizandos confirmatur peccati originalis dogma; ex doxologia, qua terminantur omnes psalmi, doctrina mysterii Trinitatis; ex ritu externo adoracionis Eucharistiae exhibito realis Christi præsentia; ex omnibus orationibus necessitas gratiæ ad bonum operandum; ex preciis, quæ ab antiquioribus sæculis pro defunctis funduntur, dogma purgatorii, etc. In his et similibus causis, ubi ex mente Ecclesiæ et publico omnium fidelium sensu, tam notoria est arctissima, quæ inter universalem præxim Ecclesiæ et dogma reperitur, conexio, usuvenit axioma theologicum et regula celebris S. Cœlestini Papæ in sua ad Galliarum Episcopos Epistola: « Legem credendi lex statuit supplicandi. »

Q. 6. Quænam sunt causæ rituum, eorumve significaciones?

R. Duæ causæ Ecclesiam ad cujusvis ritus institutionem movere potuerunt: causa nempe **naturalis**, et causa aliqua **mystica** seu **symbolica**.

Naturali causa movetur Ecclesia, dum aliquid pro ritu sacro præscribit ob eum finem in quem illud natura sua destinatum est; dum, ex. gr., cereos accendi jubet luminis afferendi causa, vel thus incendi ad locum aliquem bonis odoribus replendum; ut ita res ipsa essentialis quæ agitur, distinctius declarata velut ob oculos ponatur atque convenienti majestate et externo cultu condecoretur.

Mysticis causis movetur Ecclesia, quando ad spiritualem aliquem finem ista naturalia dirigit, veluti cereos ad designandum illam Lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; thus autem ad testandam erga Deum reverentiam; ut ita excitetur et foveatur congruentior dispositio ac devotio in animis

fidelium, ad cultum Deo exhibendum et majorem fructum percipiendum. (Card. Franzelin, *De Sacramento Eucharistiae*, Thesis VII.)

Mysticis cæremoniis summopere favet indeles Catholice Liturgiæ; imprimis cum Christus ipse exemplo suo earum usum insinuaverit, omnia Sacraenta sub ejusmodi ritibus instituens. Hinc Ecclesia quamplurimos tales mysticos ritus introduxit, sine respectu ad causas naturales; non quod non pertineant etiam ad ornatum, neque quod cultum etiam aliquem non contineant, sed quod principaliter propter significationem ordinati sint: ut mentes fidelium (sicuti Concilium Tridentinum loquitur) per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem extarentur.

Frequenter tamen quoque Ecclesia utramque illam causam, naturalem nempe et mysticam, simul admisit; sicut, ex. gr., in institutione ritus vi cuius modicam aquam vino in calice offerendo miscemus: id enim sentiunt Patres Tridentini propterea fieri, tum, quod Christum Dominum ita fecisse credatur (quæ causa historicæ ad naturalem reduci potest), tum etiam, quia e latere Ejus aqua simul cum sanguine exierit (causa mystica.) (Concilium Tridentinum, Sess. 22, Cap. 7.)

Q. 7. Quomodo distinguuntur Rubricæ ratione obligatio-  
nis, et quænam est earum obligatio?

R. I. Inter varias Rubricas aliæ sunt substantiales, sine quibus non existent res, verba, aut actiones; ex. gr., quæ spectant materiam et formam Sacraementorum; ad quas servandas jure divino exstat obligatio; — aliæ sunt quæ determinant modum, quo ad Dei gloriam et fidelis populi ædificationem sacræ actions convenienter peragantur; et istæ sunt aut **præceptivæ**, in conscientia et sub peccato (vel gravi vel levi pro materiae natura) obligantes ad servandos ritus ab eis præscriptos; — aut sunt **directivæ**, seu non obligantes per se, sed proponentes instructionem et directionem per modum consilii.

II. Prævalet sententia quod præceptivæ sint Rubricæ: 1º Ritualis, pro solemni Sacraementorum admini-

Sancti Pii V jussu fuit editum anno 1568; et recognitum auctoritate primum Clementis VIII, anno 1602; deinde Urbani VIII, anno 1631; tandem Leonis XIII, anno 1885; hæc ultima recognitio reddit Rubricas Decreto S. Rituum Congregationis 28 Julii 1882 reformatas, et continet suo loco omnia Festa pro universa Ecclesia hucusque præscripta, Officia reformata, et Officia votiva anno 1883 concessa, necnon permulta nova Officia a S. Sede aliquibus locis indulta; ei futuræ editiones conformari debent. — Cum hæc typica Breviarii editio, anno 1885 evulgata, sensim inductis additamentis, ac præsertim Rubricarum variationibus, a S. Rituum Congregatione die 11 Decembris 1897 decretis, haud amplius sit conformis, nova editio, ceu typica pro futuris editionibus habenda, excusa et evulgata fuit anno 1900. (Cfr. QQ. 72-76.)

Breviario adjungitur Martyrologium, seu Catalogus Sanctorum quos Ecclesia per totum annum honorat.

Fuit editum jussu Gregorii XIII anno 1584; recognitum auctoritate Urbani VIII et Clementis X; auctum et castigatum labore et studio Benedicti XIV, anno 1749; et iterum diligenter recognitum et emendatum jussu Pii IX, anno 1873. — Quamplura elogia Sanctorum inde ab anno 1873 addita fuerunt; catalogus variationum et additionum a Secretaria S. Rituum Congregationis editus fuit die 11 Martii 1901. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 266.)

Per Decretum 1 Maji 1902, S. Rituum Congregatio, probante SS. Domino Leone XIII, novam editionem Martyrologii Romani, recognitam et auctam, imprimi decrevit, statuitque ab aliis ubique locorum deinceps typis edi non posse, nisi accedente auctoritate Ordinarii loci, et omnino ad normam hujus exemplaris.

2º Missale continet ordinem et regulas pro Sanctissimo Missæ Sacrificio rite celebrando.

Sicuti Breviarium, fuit etiam Missale ex Decreto Concilii Tridentini restitutum; Sancti Pii V jussu editum anno 1570; et recognitum auctoritate primum Clementis VIII, anno 1604; deinde Urbani VIII, anno 1634; tandem Leonis XIII, anno 1884; ultimam hanc recognitionem commendant: textus Rubricarum, juxta immutationes anni 1882 dispositus; Missæ omnes pro universa Ecclesia præscriptæ, Missæ votivæ anno 1883 concessæ, Missæque multæ et novissimæ aliquibus provinciis vel diœcesibus a S. Sede indultæ, quæ omnes suo loco continentur; tandem cantus, de quo Summus Pontifex per Decretum S. Rituum Congregationis, 26 Aprilis 1883, præscripsit, ut aliæ Missalis Romani editiones in futurum huic cantui conformes esse deberent; quibus ex causis hæc editio suprema auctoritate munita est, cui omnes novæ editiones sint conformes. — Nova

editio, continens novissimas inductas Rubricarum additiones, et variationes die 11 Decembris 1897 a S. Rituum Congregatione decretas, excusa fuit anno 1899.

Exstat supplementum ad Missale Romanum, inscriptum: « Memoriale Rituum pro aliquibus præstantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis parochialibus. »

Fuit editum jussu Benedicti XIII, anno 1725. Exhibit primum Rituum qui servari debent: 1º in benedictione Candelarum in Festo Purificationis B. M. V.; 2º in benedictione Cinerum in Capite jejunii; 3º in Dominica Palmarum; 4º in feria V in Cœna Domini; 5º in feria VI in Parasceve; 6º in Sabbato Sancto.

De eo ejusque usu agitur in Tomo V hujus Sacrae Liturgiæ cui titulus « Cæremoniæ », in Appendice I, Q. 134.

3º Rituale continet ritus et preces, quæ in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam animarum gerunt.

Fuit editum jussu Pauli V anno 1614; auctum vero et castigatum a Benedicto XIV anno 1752; novam editionem diligenter recognitam imprimi curavit S. Rituum Congregatio, statuitque per Decretum 24 Martii 1884, ut novæ ejusdem Ritualis editiones huic tamquam typicæ, præsertim quoad cantum, ad normam Decreti 26 Aprilis 1883 fideliter expressum, sint conformes.

In editionibus recentioribus Ritualis apponitur plerumque Appendix. Hæc continet collectionem Benedictionum, et variarum Instructionum, tum ad Missæ Sacrificium, tum ad Sacramentorum administrationem, tum ad alias sacras functiones pertinentium, quæ Sanctæ Sedis auctoritate approbatæ seu permittæ, in aliis libris liturgicis non inveniuntur.

In hac Appendice mutationes multæ reperiuntur factæ; præsertim quoad diversas formulas absolutionis generalis in articulo mortis impertiendæ hucusque usitatas, quas omitti oportuit juxta Decretum S. Rituum Congregationis, 7 Maii 1882 (n. 3550, antiq. 5845); et quoad multas Benedictionum formulas, recens approbatas, aut authenticitatis nota gaudentes; quæ omnes in editione supradicta anni 1884 exhibentur.

4º Pontificale continet ritus et preces pro functionibus episcopalibus.